

479

477

464

483

superilio, ita, quod aquilone et oriente et austro vallibus circumdatur, et recurvatur contra occidentem versus Jerusalem, et ab eadem parte habuit fossata, muros et turres, sicut hodie etiam patet. Circuivi oppidum, et curiosius ejus perspexi situm. Hodie vero villa est satis populosa, et nec de muris, nec de fossatis curant, et major pars habitantium ibi sunt Christiani orientales, confoederati Sarracenis et etiam Arabibus, nutriunt se de rure. Nam fertilissima est gleba per circuitum, frumento, vino et oleo abundans et pascuis. In divisione terrae XII tribubus Israel cecidit in sortem tribus Judae, et in partem nobilissimae familiae ejus tribus Phares.

473

488

468

428

Hanc civitatem Bethlehem laudabilem ostendit beatus Jeronymus multis scriptis. Speciatim in epistola ad Marcellam sic dicit: Quo sermone diversorum Mariae, qua voce tibi speluncam Salvatoris exponam? Et certe praesepe, in quo infantulus vagiit, silentio magis quam infirmo sermone honorandum est, ubi satis late porticus, deaurata laquearia. E Bethlehem ecce in hoc parvo terrae foramine coelorum conditor natus est, hic involutus pannis, hic visus et adoratus a pastoriibus et Magis. Et puto, sanctior locus est rupe tarpeja, quae de coelo saepius fulminata ostenditur Deo displicere. Est quidem ibi sancta ecclesia et populus fidelis, et urbs populosa, sed ambitio potius [?], magnam urbem videri et videretur laudare et detrahere. In Christi autem villa tuta rusticitas est, extra psalmos silentium est, quocumque te verteris, stivam tenens alleluja decantat, sudans messor psalmis se advocat, et curva falce attondens vites vinitor aliqua davídica canit. Haec sunt in hac provincia carmina, haec, ut vulgo dicitur, amatoriae cantiones. Haec Jeronymus. In tanto pretio fuit Bethlehem sanctae Paulae, ut eam Romae praeferret, et auro tracto fulgentia informis luti vilitate mutavit, ut inquit Jeronymus in epistola in vitam et obitum S. Paulae. De laudibus Bethlehem composuit ille Sophronius vir eruditissimus ornatum librum, ut Jeronymus de viris illustribus refert. Qui etiam omnia Jeronymi opera de Hebraeo in Latinum translata transtulit de Latino in Graecum. Beatus Bernh, in sermone ad milites templi plurimum commendat Bethlehem nativitatis Domini locum.

378

Ende

Anfang

